

2343

S Y N O D I C I.

2344

jor est in lectione diversitas, cujus specimen si: In Prooemio: *vim haberent pro vim habuerint, additiones nostras juvando pro editiones nostras innovando, hoc tantum libello pro hoc tamen libello.* In Decreto I. *exquisitissimam pro exquisitam.* In Decreto II. *hujus sacri Concilii pro hujusmodi sacri Concilii, effectum gratie confert pro effectum confert.* In Decreto III. *inviolabiliter custodiri pro inviolabiliter observari, et honoris eorum; post presentem enim pro et honoris. Post praesentem &c.* quorum quaedam manifeste vulgari lectioni praeferenda sunt.

Ad horum Statutorum calcem ejusdem Sec. manu adscripta sunt Alia coacervata, quorum hic ingressus: *In nomine domini amen. Cum statuta sanctorum patrum et pia monita sint digne in omnibus memoriter retinenda et opere complenda, tamen in conuentibus synodalibus propter tepidos et minus in observantijs mandatorum feruentes sunt frequentius repetenda, ideo primo et principaliter monemus, et per excommunicationis sententiam diu latam mandamus, quatenus omnes a manifesta cohabitatione sibi caueant et infra XIV. dies domos suas a focarijs (Ancillis) expurgent et emundent.* &c. Ita deinceps de decenti Ecclesiarum habitu et Sacrorum celebratione, de vitandis Clero Tavernis et lusu, de Simonia, de accessu Synodorum &c. proposita etiam, quod displicet, multa mediae Marcae argenti, et unius

Fertonis (vide *Ducangii* Glosfar.) praecipitur. Emanasse e quadam Synodo, seu Capitulo Archidiaconali, et quidem in *Bohemia* haec Decreta e sequente conjicio: *Item cum merito matrem nostram ecclesiam pragensem imitari in officio diuino debeamus. Volumus et mandamus. ut de cetero Venite in domibus circa defunctum in vigilijs non cantetur.* Imo Archidiaconatus iste diserte indicatur deinceps in his: *Volumus — ut plebani sive rectores ecclesiarum archidiaconatus pragensis &c.* Certiora fortasse dedisset horum Statutorum exitus, sed imperfecta destituit Librarius destitutus ipse a membrana.

DCCCCXLV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3286 XIV. Folior. 64. 4. eleganter scriptus, rubricis distinctus, et prius *Monasterii*, ut praefert, *B. V. M. in Gärsten* O. S. B. quod in *Austria* super. fuit, exhibet Exemplar Statutorum Synodaliū *Arnesti* Archiep. *Pragensis*. Impressa sunt haec Statuta primum in *Nova Plzna* 1476. quae Editio rarissima in Bibliotheca Univ. *Pragenae* visitur, tum a. 1606. *Pragae* curante celebri *G. Bartholdo Pontano a Braitenbach*, unde ea *Harzbemius* in T. IV. *Concill. Germ.* p. 381. repraesentavit addita lectionis varietate, ultra quam nihil in Textu nostro occurrere putem. Sed lapsus est in anno celebratae Synodi *Harzbemius*, qui

2345

C O D I C E S

2346

qui MCCCLV. praescripsit, inductus ab alio *Arnesti Statuto*, quod p. 405. subjecit, quodque istum annum ad calcem habet. Vel istud ipsum *Statutum* erroris illum admonere poterat; incipit enim: *Et licet in Libro Constitutionum sive Statutorum Provincialium sit praemissum et per Nos dudum mandatum &c.* Vides dudum. Non igitur a. 1355. verum, ut rite habet Clausula nostra iniuncta: *Datum prage anno domini M°. CCC°. XLIX°. die XII. mensis. nouembris. archiepiscopatus domini Arnesti anno sexto.* Nam cum *Arnestus* factus sit Episcopus anno 1342. biennio vero vero post Archiepiscopus, ut in ejus *Vita Balbinus*, et Editores *Effigier. Doctorum Bob.* tradunt, annus ejus Archiepiscopatus *sextus* in an. 1349. cadit.

Fol. 37. continuo *Incipit summa de tribus punctis essentialibus cristiane Religionis*, cujus initium: *Religio munda et immaculata aput deum hec est &c.* Puncti autem illi tres sunt: *Crederet articulos fidei. Seruare decem mandata decalogi. Euitare septem mortalia peccata*, quibus instar quartorum *Remedia* accedunt. Ad calcem legas: *Finitus est iste liber. anno domini. M°. CCC°. LXXXVI°. in die sancte praxedis.* Et iterum: *Hij sunt puncti religionis cristiane collecti per magistrum Thomam ybertinum. anno domini M°. CCC°. XVI°.* Vides primo *to Finire* saepe Librarii esse, non Autoris; dein quis hic *Ybertinus?*

Putat *Thomam Hybernicum*, non *Dominicanum*, quem *Altamura*, non *Franciscanum*, quem *Waddingus* volebat, sed *Sorbonae Socium*, ut pluribus habes in *Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 744.* ubi etiam de Opusculo nostro, quod prelo nunquam subditum fuisse putem.

Fol. 62. p. 2. Statuta Synodalia. Ingressus: *In nomine domini Amen. Nos Arnestus dei et Apostolice sedis gratia pragensis Episcopus &c.* Non dum igitur Archiepiscopus, ideoque recte ad calcem: *Actum et datum prage Anno domini M°. CCC°. XLIII. in die sancti luce pontificatus uero nostri Anno primo.* Nihil de his Statutis *Harzbemius*, sed neque *Balbinus* eorum in *Vita Arnesti* meminit. Quare mihi Decreta, siue *Canones XV.* quibus constant, singillatim percensenda sunt. I. vibratur Anathema in *Ludovicum de Bauaria*, qui pro Imperatore se gerit. II. idem fit in *Petrum presbyterum filium quondam Dywischij de Dobronicz* uolenter occupantem parochialem Ecclesiam in *Netosicz.* III. Denuntientur Haeretici, eorumque Fautores. IV. Oratio dominica et Symbolum Apostolorum recitetur in *wlgari bohemo et theutonico* e formula ab episcopo praescripta. V. Plebani singulis Dominicis et Festis promulgent excommunicationem in Usurarios. VI. Promulgent iisdem diebus, Usurarios ad Consistorium citari posse. VII. lidem pro administratione Sacramen-

2347

S Y N O D I C I.

2348

mentorum, Benedictione Nuptiarum et Sepultura nihil exigant. VIII. Archidiaconi et Decani rurales pro distributione sacrorum liquorum a Plebanis nihil exigant, nec admittant. IX. Nemo Plebanorum autoritate propria excommunicationem decernat. X. Inculcatur Residencia ecclesiarum Rectoribus, et Visitatio adnuntiatur. XI. Concubinatui minae intentan-

tur. XII. Prohibetur Benedictio Ferri igniti et Aquae, in qua purgandi merguntur. XIII. Contra Sacerdotes sine titulo beneficii ecclesiastici gyrovagatos. XIV. Contra Armorum offensibilium gestationem et pro habitu et tonsura clericali. XV. Aboletur Statutum Antecessorum de Jejunio ante Festum epiphaniae, SS. Viti et Modesti, atque Corporis Christi.

